OFFICIVM
IN FESTO
B.FERDINANDI TERTIJ
REGIS CASTELLÆ, EL LEGIONIS, COGNOMENTO SANCTI.

Omnia de Communi Conf. non Pont. preter Orationem, & Lectiones proprias, pro. 2. Nocturno, vn infra, videlicét.

ORATIO.

DEus, qui Beato Confessori tuo Ferdinando præliari prælia tua, & Fidei inimicos superare dedisti; Concede, vt eius nos intercessioni muniti, ab hostibus mentis, & corporis liberemur. Per Dominum nostrum, &c.

De inde fit Comm. de S. Felice Pp. & Mart.

Oratio.

INfirmitâtem nostram respice omnipotẽs Deus: & quia pondus propriæ actionis

nis grauat, Beàti Felicis Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

IN primo Nocturno Lectiones de Libro Sapientiæ Iustus si morte, &c. vt conceditur omnibus Reg nis Hispaniæ in principio huius officij.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j.

IVstus si morte præoccupâtus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim veneràbilis est ; non diuturna, neque annôrũ numero computâta: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectûtis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus: & viuens inter peccatores trãslâtus est. Raptus est ne malitia mutâret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitâtis obscûrat bona, & inconstàntia concupiscentiæ transuértit sensum sine malitia. Consummâtus in breui explêuit tẽpora multa: placita enim erat Deo anima illius propter hoc properâuit edúcere illum de medio iniquitatũ.

Le-

Lectio ij.

POpuli autem videntes, & non inteligentes, nec ponéntes in præcordijs talia: quoniam gratia Dei, & misericordia est in Sanctos eius, & respectus in electos illius. Condemnat autem iustus mórtuus viuos impios; & iuuentus celerius cõsummata, longam vitam in iûsti. Vidébũt enim finem sapientis, & non intelligẽt quid cogitâuerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Uidêbunt & contẽnent eum: illos autem Dominus irridêbit. Et erunt post hæc decidéntes sine honôre, & in contumélia inter mortuos in perpétuum: quoniam disrùmpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos á fundaméntis, & vsque ad suprêmum desolabũtur.

Lectio iij.

ET erunt geméntes, & memoria illorum peribit. Vénient in cogitatione peccatorum suôrum timidi, & tradúcent illos ex aduérso iniquitàtes ipsôrũ. Tunc stàbunt iusti in magna constàntia aduérsus eos, qui se angu-

ſtiauérunt, & qui abſtulérunt labôres eôrum. Vidéntes turbabúntur timôre horribili, & mirabùntur in ſubitatiône inſperàtæ ſalûtis, dicéntes intra ſe, pœniténtiam agentes, & præangùſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquādo in derîſum, & in ſimilitùdinem impropérij. Nos inſensàti vitam illôrum æſtimabâmus insàniam, & finem illôrū ſine honôre: ecce quomodo computáti ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illôrum eſt.

In ſecūdo Nocturno.

Lectio iv.

FErdinandus Tertius Caſtellæ, & Legionis Rex, cui Sāncti Cognomentum iam inde à quatuor ſæculis Eccleſiarum, & ſæculorum conſenſus dedère, tātum prudentiæ adoleſcens adhuc ſpecimem præbuit, vt Berengaria Mater Caſtellæ Regina, à qua perſanctè educatus fuerat, abdicatum à ſe Regnum in filium tranſtulerit. In eo adiunctis Regni curis, Regiæ virtutes emicuere, magnanimitas, clemētia, iuſticia, & præ cæ-

cæteris Catholicæ Fidei zelus, eiusque religiosi cultus tuendi, ac propagandi ardens studium. Id præstitit in primis Hæreticos insectādo, quos nullibi Regnorum suorum consistere passus, pro prijs ipse manibus ligna comburendis damnatis ad rogum, aduehebat. Prestitit insuper in erigendis, dotandis, & consecrandis Christiano ritu Cordubensi, Giennensi, Hispalensi, & aliarum Vrbium Ecclesijs Maurico erepta rum iugo, simulque in instaurandis primarijs Templis, Toletano, Burgensi, & alijs pia, & regia munificentia.

Lectio V.

INter hæc, per Castellę, & Legionis Regnum, in quo Patri Alfonso successerat, collectis magnis exercitibus, annuas expéditiones cō tra Sarracenos, Christiani nominis hostes suscèpit. In queis, vt semper vincèret, præcipuè exercitus fuere preces pijssimi Regis ad Deū fusæ, & quod ante pugnam, vt sibi Deum propitiaret, flagris in se sæviebat, atque aspero cilicio muniebat corpus: Sic, & in-

insignes, contra ingẽtes Maurorum acies, victorias reportauit, & plures Vrbes Christiano cultui, imperioque restituit, & conquesitis Giennij, Cordubæ, & Murtiæ Regnis, ac Granatensi vectigali facto, ad expugnandam Hispalim primáriam Beticæ Vrbem hortante in visione (vt traditũ est) Beato Isidoro, olim illius Vrbis Episcopo, victricia signa transtûlit. In ea obsidione (vt fertur) præsentem divinam opẽ habuit: nam ferream catenam, quæ super Betim transuersim exténsa; Mahometanis pro repagulo erat coorto validiori vento, vna ex Navibus Regijs Regis iussu eó delata, tanto impetu fregit, vt longiùs prætervecta, Pontẽ quoque ligneum, & simul spes Maurorum obruperit, & ad deditionem coégerit.

Lectio vi.

TOt victorias Beatæ Virginis Mariæ patrocinio ferebat acceptas, cuius imaginem secum in Castris habens peculiari cultu prosequebâtur. Capta Hispali, prima Religionis cura fuit, nam Templũ

Mau-

Maurorum expiatū, & Christianorum dedicatum sacris, insigni Archiepiscopatu, & honestissimo Canonicôrum, & Dignitatum Collegio, Regia, & religiosa liberalitâte exornauit. Alia deinde in Vrbe Templa, & Cœnobia erexit, inter quæ pietatis officia, dū traijcere in Africam parat, Mahometânum in ea Imperium euersurus, ad Cœlestem Regiam vocatur. In extrèmo vitæ agône SacramEucharistiam pro Viatico allàtam, fune ad collum alligato, & humi stratus cum lacrymis, vbertim fusis, adorans, eaque dignis reverentiæ, humilitatis, & Catholicæ Fidei obtestationibus accepta, obdormiuit in Domino. Iacét eius corpus incorrùptum adhuc post quatuor: sæcula in Templo maximo Hispalensi, honorificentissimo inclusum Sepulchro.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo temporé: Dixit Iesus Discipulis suis: Nolite timêre pusillus grex, quia

quia complàcuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia veneràbilis Bedę Presbyteri.

Lib.4.c.54.in Luc.12.

PVſillum gregem electorum, vel ob comparatiônem maiôris númeri reprobôrum, vel potiús ob humilitátis deuotionẽ nominat: quia vidèlicet Ecclésiam ſuam quantàlibet numeroſitâte iam dilatâtam, tamen vſque ad finem mundi humilitâte vult créſcere, & ad promiſſum regnum humilitâte peruenire. Ideôque eius labôres blandé cõſolâtus, quã regnũ Dei tantùm quærere præcipit, eidem regnum à Patre dandum complàcita benignitate promittit.

Lectio viii.

VEndite quæ poſſidêtis, & date eleëmoſynam. Nolite, inquit, timêre, ne pròpter regnũ Dei militántibus, huius vitæ neceſsària deſint: quin ètiam poſséſſa, propter eleëmoſynã vèndite. Quod tunc digné fit, quãdo quis ſemel pro Domino ſuis omnibus ſprétis, nihilòminùs poſt hęc labôre mànuum, vnde & victum tranſigere,

gere,& eleëmosynam dare quæat, operâtur. Unde gloriâtur Apostolus, dicens: Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupiui: ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant,& his qui mecũ sunt, ministrauérunt manus istæ. Omnia ostẽdi vobis, quoniam sic laborántes oportet suscipere infirmos.

Pro S. Felice Papa, & Martyre,

Lectio ix.

FElix Romanus, patre Constãtio, Aureliàno Imperatôre præfuit Ecclèsiæ. Constituit vt Missa supra memorias, & sepulchra Martyrum celebrarètur. Qui cũ mense Decémbri habuisset ordinationes duas,& creasset Presbyteros nouem, Diaconos quinque, Episcopos per diuèrsa loca quinque, martyrio coronâtus, via Aurèlia sepelitur in Basilica, quàm à se ædificâtam dedicarat. Vixit in Pontificàtu annos duos, mẽses quàtuor, dies viginti nouem. Te Deum Laudamus.

Hiſ-

Hispalin.


CVM Sanctissimus Dominus noster CLEMENS PAPA X. pijs precibus Serenissimi Caroli Secundi Regis Hispaniarum per litteras in forma Brevis die 17. Februarij 1671. indulserit, vt de predicto Beato Ferdinando Tertio Rege Castellæ, & Legionis, Cognomento Sancto, celebrari posset festum cum Officio, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis, sub ritu duplici in omnibus Regnis Hispaniarum, & Ditionibus eidem Regi Catholico subiectis, & in Ecclesia Sanctorum Iacobi, & Ildefonsi de Vrbe Nationis Hispaniarum quotannis die 30. Maij, ab omnibus vtriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur. Et eadem Sanctitas sua sub die 16. Augusti 1673. de consilio Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Sac. Rituum Congregationi Præpositorum, habita die 12. eiusdem mensis Augusti, & anni concesserit, & literas pariter in forma Brevis expediri mandaverit, vt in posterum de præcepto sub ritu duplici servari, & celebrari deberet festum præfati Beati Ferdinandi Regis &c. in omnibus Regnis Hispaniarum, cum lectionibus proprijs ab eadem Sacra Congregatione approbandis. Nunc verò ad reiteratas preces Maiestatis Catholicæ per Eminentissimum & Reverendissimum Domiunm Cardinalem Nitardum suum Oratorem ordinarium porrectas eidem Sanctissimo, & per eundem ad hanc Sac. Rituū Congregationē remissas, eadem suprascriptas Lectiones, cum Oratione proprias pro secundo Neturno, vt iacent, diligenter revisas, & relatas ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Cardinali Portocarrero Comprotectore Hispaniæ, approbavit, ac recitari, & imprimi posse concessit. Die 18. Maij 1675.

V. Ep. Portueñ Card. Carpin.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congr. Secr.



HISPALI, EX TYPOGRAPHIA JOANNIS CABEZAS, ANNO M. DC. LXXVI.




BUS

UNIVERSIDAD DE SEVILLA
600146783

